

dicti nostri Generalis Decreti frui et gaudere illibate de nouo et denuo in dictis Comitatibus temporibus quibuscumque firmiter obseruandis, statuimus et committimus, vt a modo in posterum nullus quipiam Banorum, Vicebanorum, ac Comitum et Vicecomitum dictorum Zagradiensis et Crisiensis Comitatum pro tempore constituti, uel alter eorundem, quousque eosdem huiusmodi honoris officio fungi contigerit, prescriptos Nobiles uel alterum eorum in ipsorum presentias in sedem dictorum Comitatum pro quibuscumque factis contra se in causam attrahere, uel contra eosdem in dicta sede aliquam litis materiam suscitare (audeat). Vniuersa etiam iudicia seu iudiciorum grauamina, in quibus prefati Nobiles dictorum Comitatum, uel alter earundem contra quoscumque coram eisdem conuicti extitissent, aut eosdem conuinci contigerit, non alias, nisi tempore Congregationis Generalis, per quoscumque fideles nostros ex nostra speciali commissione in medio dictorum Nobilium celebrande, extorquere debeat atque possit. Quocirca uobis fidelibus nostris, Bano uel Vicebano, ac Comiti et Vicecomiti dictorum Comitatum ad presens constitutis et in futurum constituendis, firmo nostro Regio damus sub edicto, omnino uolentes, quatenus a modo in posterum prescriptos Nobiles et alterius cuiusuis status et conditionis possessionatos homines Comitatum prescriptorum, contra formam prescripti nostri generalis decreti, modo quo supra, contra uosmet ipsos uestri in presentiam pro quibuscumque factis euocare, citare ac in causam attrahere, dictaque iudicia aliis temporibus, preter quam in dicta Congregatione Generali, in dictis Comitatibus celebranda, super eisdem extorquere, aut eosdem Nobiles ratione premissorum in personis, possessionibus, ac rebus et bonis eorundem impedire, molestare quouis modo, uel dampnificare nulloatenus presumatis, nec sitis ausi modo aliquali, aliud facere non ausuri, gratie nostre sub obtentu. Presentes perlecte semper reddantur presentanti. Datum Cremonae in festo Conversionis Beati Pauli Apostoli. Anno Domini Millesimo Quadringentesimo quarto decimo, Regnorum nostrorum Anno Hungarie etc. vigesimo septimo, Romanorum uero quarto. Alterius uero Continentia sequitur essetalis: Nos Sigismundus, Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungarie, Dalmatie, Croatiae etc. Rex, Memoriae commendamus: Quod in presentibus tractatibus et colloquiis (cum) Prelatis et Baronibus nostris, vna cum potioribus quorumlibet huius regni nostri Hungarie Comitatum proceribus, ex speciali nostre maiestatis commissione pro faciendis certis dispositionibus, utilitatem et commodum ipsius regni nostri regnicolarumque nostrorum continentibus, congregatis et constitutis, inter cetera ex eorundem procerum nostrorum querulosis relatibus ad nostram ipsorumque Prelatorum et Baronum nostrorum audientiam latius est deductum, quod ipsi Proceres et Nobiles regni nostri per Capitula et Conuentus in ipso regno nostro habita, et existentes, in superfluis redemptionibus litterarum eorum super diuersis ipsorum nobilium negotiis quae excipiendarum, per hominesque ipsorum Capitulum et Conuentuum pro faciendis inquisitionibus, euocationibus, statutionibus et reambulationibus possessionariis, ac ceteris ipsorum nobilium factis iuxta regni nostri consuetudinem exequendis, pro testimoniis deputandos ratione laborum ipsorum adeo taxarentur et uexarentur, vt nonnullos ex eisdem pauperiores, ab eorum iuribus ab ipsis alienatis, et iniuriis a potentioribus eis illatis, prosequendis cessare oporteret, et supersedere, nec litem seu motionem aliquam superinde ualeret suscitare; et quod dicatores lucri Camere nostre tempore dicationis ipsius a singulis uillicis ipsorum nobilium vnam pintam uini, nouitate ad-